

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Caritas a
cum uariis

In caritate pauper est diues; sine caritate omnis diues est pauper. Hec in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat; in duris passionibus fortis est, in bonis operibus hylaris est; in temporalibus ditissima, in hospitalitate latissima; inter bonos fratres letissima, inter falsos pacientissima; in Abel per sacrificium lata, in Noe per diluuium secura, in Abrahe peregrinacione fidelissima, in Moyse inter iniurias lenissima, in Dauid tribulacionibus mitissima; in tribus pueris blandos ignes innocenter spectat, in Machabeis seuos ignes fortiter tolerat; casta in Susanna supra uirum, in Anna post uirum, in Maria preter uirum; libera in Paulo ad argendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, diuina in Christo ad ignoscendum. Quid dicam de caritate? Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non habeam, nichil sum. Ipsa enim est anima litterarum, prophetie uirtus, sacramentorum salus, sciencie stabilimentum, fidei fructus, diuicie pauperum, uita morientium.

Augustinus de laude caritatis.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

fratres] latiss *add. (del. intra)* B; lata] leta P V¹ V² L¹ L²; lenissima] leuissima P V¹ V² L¹ L²